

289

287

293

283

298

278

338

238

388

188

Ende

Anfang

278

dedecore ac infamia (**169 a**) plenissimos fecit. Id vero summae impietatis et sceleris, quod regium puerum rapuit ad stuprum, parum enim ei videbatur, si in expugnanda pudicitia maculosus esset et turpis, nisi etiam sexui suo injuriam faceret. Miror profecto illius rudis aevi insaniam, ut quod ex homine natum, passibilem atque mortalem viderant et servum vitiorum multorum experti fuerant ejusque jam mortuum cadaver ante oculos habebant, Deum, et summum optimumque Deum tam inconsulte crederent. Sinamus ergo veteres in sua fatuitate et ad propositum de Creta insula redeamus.

De Creta.

Creta insula habet montes altissimos multos. Unus nominatur Dyptanus, abundans herba, quae dicitur dyptana. Alter dicitur Crocus. Alius Carina dicitur, ex quo mirabile recitatur: ajunt enim cum mollis sit per totum spatium, quod occupat, nullas reperiri muscas, nec mel ibidem factum attingunt. Calistus est alias mons altus, adeo in vertice semper candens, ut a navigantibus nubes potius arbitretur, quam vertex. Alius dicitur Dictaeus, a Dictaea Nympha, quae in eo colebatur, qui etiam in verticibus semper nivibus candet, ut navigantes putent esse nubes. Alius mons altus, non longe a civitate Candia, qui dicitur Idaeus, de quo multa narrantur. In eo dicitur esse specus, in quo Jupiter a Nymphis fuit nutritus. Est etiam in eo Labyrinthus a Daedalo factus, ubi fuit Minotaurus inclusus, in quo si quis intraret sine glomere lini, exitum invenire non valet. Ejus aedificii talis est situs, ut aperientibus fores tonitru intus terribile audiatur. Descenditur centenis ultra gradibus; intus simulachrum et monstrificae effigies. In partes diversas transitus multi per tenebras, ita ut de tenebris ejus ad lucem venire impossibile esse videatur.

Quatuor sunt autem Labyrinthi. Primus Aegyptius, secundus Creticus, tertius in Lemno, et quartus in Italia, omnes ita constructi, ut dissolvere eos nec ulla saecula quidem possent. De Labyrintho Italico supra dictum est fol. 83. Sunt enim in plerisque montibus cavernae, ducentes in tenebrosa loca, ita per rupes et petras sit ingressus et varius digressus, nisi quis lumen habeat,

